Rde in Christo Pater

Pax Christi

Ecce quam mirabili DEI dispositione iterum revertor in Europam à P. N. citatus
quam ob causam ignoro, Vra Rua citius intelliget per bonos amicos. Statueram
iam abire cum P. Henrico Persiam versus in comitatu multorum armenorum, idque
Constantinopoli in Asiam cum equis impedimentisque nostris traieceramus, cum ecce
eodem die adeo sinistra valetudine tentari coepi (fuit antea vehemens effusio
flavae bilis et contrariae vomitus, qui etiam paulo ante nisi non ad phrenesim
et amentiam me deduxit) ut P. Henrico solo cum suo Josepho fratre abituriente
ego ad nostros Patres Galatam reverti coactus sim, quod quam grave mihi acciderit
Vra Rua iudicabit, interim venit Cursor Caesareus eodem mei reditus die qui mihi
litteras admi R. P. Nri attulit, in quibus in Europam revocabar, ubi iudicium et
voluntatem DEI circa me mirabilem osculatus sum, atque 3 diebus post Meus
Matthaeus Sinensis hic in nostra domo ex mala Dyssenteria ultimum diem sancte
obijt, nimirum 12a huius magno sui desiderio apud omnes relicto. Venio itaque
vel per terram vel per mare, utrum autem Romam (quod tamen optarem) sed adhuc ignoro
fero omnem thesaurum linguae Indicae à P. Henrico mihi in illa perturba-
tione per oblivionem relictum, si conveniret postea Vram Ruam sperarem non
non pauca inde pro gloria DEI et honore Societatis animarumque salute causatura.
Vra Rua videat quid faciat, cum paratus ad omnes nutus S. Obedientiae habeo
etiam omnes libros Sinicos, qui nostros candidatos non parum iuvarent, qui
omnes mihi forte in posterum inutiles erunt, unacum tota lingua Sinica
quam utcunque iam calleo. Sed Obedientia est melior quam victima. Haec
sapienti sati. atque his me in antiquum affectum Vrum Sacrificiis precesque
humillime commendo. Galatae 20 8bris. 1665.

Rvae Vrae

Servus in Xto

Joes Grueber.

+
Reverendo Patri in Xto
P. Athanasio Kirchero
Socitis IESV.

Romæ.